3

RELATIO EPISTOLICA

De Flagri Funiculo, è vesſica Fratris
In Cœnobio Cappuccinorum

ILLVSTRISS. CIVITATIS TVDERTI;

à Lythotomo extracto.

ERVDITISSIMIS ANATOMICO-PHISICIS

Flagri funiculum, è vesica à Lythotomo extractum, contemplandum proponit,

IO: BAPTISTA SCARAMVCCIVS.

GOrdium nodum non Macedonico Ense rescindendum, sed Anatomico Cultro dissecandum Vobis, praeclarissimi Medicinæ Proceres, Natura proponit, quæ cum in necessarijs non deficiat, ex Philosophorum assertis, etsi videatur ludibria, & monstra patrare, perfectiones tamen efformat: hinc experimentis sicco pede transactis, quibus certè non ambigere, sed credere fas esset Naturam aliquando nobiscum iocari, in trutinam reuocare non grauabor; quod paucis ab hinc diebus accidisse ipse percepi, vt non solum eiusdem Naturæ solertiam coadmiremini, sed ingenij vestri acumine ipsius penetralia rimando, ea ex Anatome deducatis, quibus facti veritas labyrintheis confusionibus irretita innotescat.

Duobus ab hinc mensibus se se obtulit curandum dysuria, & stranguria detentus Frater Ioseph *a* Laicus Cappuccinus, cumque in peius rueret ex ijs, quæ lixiuiosas vrinæ particulas edulcorare, salino= sulphurearum portionum exaltationem compescere valerent, atque ex eo quod renum grauitate, simulque vreteris dexteri dolore paulòantea fuerit detentus, incongruum conijcere haud fuit Patientem vesicæ lythiasi laborare; Vnde à Chirurgo facta exploratione per catheterem indubitatò lapidem adesse autumauit.


a Ex Turre vulgo dicta Ceccona Comitatus Tuderti.

Non Apollinem ab Ethere, vt iaculis transfigeret, neque à Neptunum ab Equore, vt tridente domaret, neque Herculem e Terra, vt claua contunderet implorauit Patiens, sed Expertissimum, & non satis laudabilem D. Io: Rainaldum Bonaiutum, *b* qui ex animi pietate absque mercedis subsidio, vt sectionis opus aggrederetur, libentissimè hùc se contulit, prout diligenti manu 15. Kal. Nouemb. in actum deduxit.

b Ex Castro Nursiæ vulgo dicto le Preci.

Se-

Sectionis executioni vna mecum interfuit, præter diuersos Cappuccinos, D. Michael Angelus de Benedictis in arte Chirurgica Peritissimus, cumque Lythotomus vesicæ collum rescinderet, atque illius latebras scrutaretur, non nisi huius formę



materiam arenulis circumuolutam deprehendit, cumque eam instar funiculi efformatam primo intuitu dijudicarem, obseruaturus qua materia verè constaret, vino abluendam suasi, qua ablutione cum arenosa materia exciderit, funiculum esse mea confirmatur opinio; & ex eo, quod Chirurgus admiratione captus adnotaturus an esset funiculus, eum diuolui inceperit, verum esse flagri funiculum, equareque hanc longitudinem, & rotunditatem



etiam nunc resiccatum, omnes summa admiratione contemplantur. Examine facto, an vnquam Patiens eum deglutiuerit, tantum recordatur, se quondam mense Iunij præteriti insatiabili quadam bibendi licentia tam auidè matutinis horis aquam è puteo haustam ore hiante in situla perpotasse, vt aliquod molestum cum aqua hauriuisse, non sine periculosa deglutiendi dificultate, visum ei fuerit.

Prout tali pacto probabilissimum suspicor funiculi transitum ad ventriculum, sic difficillimum intueor iter à primis vijs ad vesicam. Non me latet Anisi semen simulque Carbones, & Pilos c fuisse cum vrina excretos; Pulmonis frustulum d cum vrinis emissum; Grana Alchechengi e per vrinarias vias demandata; fungi frustulum f cum lotio deportatum; Officula g cum alimentis assumpta, & cum vrinis excreta; ex diabetica passione totum h quod assumebatur per vrinas fuisse exportatatum (non loquor de diuersorum animalium per vrinas excretione, cum captù facilior sit modus eorum generationis, vel

c Hild. cent. 5. obs. 51.
d Idem cent. 2. obs. 30.
e Idem cent. 2. obs. 73.
f Nico. Flo. in Schench. lib. 3. obs. 22. de vrin.

vel in renibus, vel in vreteribus, vel in vesica, prout mille testantur testimonia) Ast latet quo ductu iter fecerint ad vesicā.

Non enim probabile est per messeraicas ad venam portam, à vena porta ad hepar, ab hepate ad cauam, ex hac ad emulgentes venas, & sic ad renes, vreteres, & vesicam, prout transitum fecisse Acū deglutitam, i & per vrinam transmissam quondam somniatum fuit, nam præter quam quod impossibilis sit aditus funiculi per hepar, adhùc tamen non concedimus transitū cauæ ad emulgentes venas, cum à quo innotuit sanguinis motus in orbem l habeamus motum in venis esse a circumferentia ad centrum, adeoque à minoribus ad maiores, simulque edocti, serositates e massa humorali eliminandas, vt precipitatione facta per renes, ad vesicam per vreteres deponantur, non per venas emulgentes, hæ enim sunt reflue, sed per arterias emulgentes m transitum obtinere.

Neque reor recurrendum ad intestini, & vesicæ perforationem, prout transitum fecisse præfatam Acum, n fuit affirmatū: Esset enim fabulosum id de funiculo asserere.

Cum verò alius non posit esse transitus ad renes, quam per arterias emulgentes, non admittimus funiculi motum per Galaxiam viam, nempe quod per lacteas venas ad cisternam Chili peruenerit, itaut per thoracicas lacteas ad subclauias, ab his ad venam cauam, à vena caua ad dextrum cordis ventriculum, ex hoc per venam arteriosam ad pulmones, ab his iterùm per arteriam venosam ad sinistrum cordis ventriculum, atque ex hoc per arteriam descendentem ad emulgentes arterias transitum obtinuerit: non enim sine regiminis vitalis æconomia interrupta per anfractuosos hos sinus aditum sibi funiculus parasset, sed probabilem suspicarer transitum à primis vijs ad renes per venas lacteas, taliter tamen vt funiculus ad cisternam chili inter renes, & capsulas atrabilarias situatam, o delatus, non per thoracicas lacteas iter cum chilo fuerit prosequtus, sed breuiori tramite, nempè per surculos lacteos, è dicta cisterna chili in arterias emulgentes insertos p transitum fuerit aggressus.

Per hos surculos enim q serum ad renes trasfertur ibi à chilo separatum, vel ad capsulas atrabilarias sero melancolico destinatas traducitur.

Hinc cum ad dictam Chili lacunam è partibus inferioribus lym-

g Fel. Plat. de mict. cap. 10.
h Amat. Lus. cent. 2. cur. 94.
i Refer. Cęs. Claud. resp. med. lib. 1. resp. 40.
l Harue. de circu. lat. sang.
m Harue. T. Barth Valeus Vvillis Sil. de la Boë, Charlecton.
n Cęs. Clau. l. cit.
o Pequet.
p Th. Barth cap. 6. de lact. thorac.
q T. Id. cap. 8. de ven. lact.

r T. Barth. de ven. lymph.
s Sil. de la Boë prax. med. lib. 1. cap. 49.
t Gualth. Charl. de Econom. anim. exer. 9.

lympha progrediatur, siue eam constituamus r excrementum tertiæ coctionis, siue credamus partim s fieri ex spiritibus animalibus per neruos delatis, partim ex sanguinis aquosiori parte, eaque acidiori in glandulis conglobatis è massa humorali secreta; siuè concludamus t ex halitibus tùm sanguinis arteriosi, cùm succi nutritij per neruos delati componi, etsi non inficiamur multùm prodesse, vel cordis æstum temperare, vel sanguinis volatilizationem facilitare, vel sanguinis coagulationem inhibire, & micationem eiusdem promouere, probabilissimam suspicarer lymphæ superfluę secretionem, & per vrinarias vias translationem.

Per hunc breuiorem tramitem, sine diabetica passione, paulò à potu Vina oligophora, clareta, lacrimæ, Vrbeuetana Vina, vulgò *raspee*, & similia per vrinam excerni coniecturare fas esset: per easdem vias Aquam Nucerinam aliquando immediatè a potu deportari tutò concludendum, nàm cum sepissimè ea vtamur, vt feruescentium particularum massæ humoralis morbosa efferatio compescatur (eius enim aquositate partes sanguinis sulphureę diluuntur, & ratione boli, seù terræ samiæ, quà insignitur, partes salinæ obtunduntur, & ab ea abripiuntur) frustraneus eius vsus experitur, cum recto tramite à Cisterna chili, non per thoracicas lacteas ad cor, vt cum sanguine circulante transitum obtineat, sed ad renes deferatur. His obiter dictis, redeamus vndè digressi sumus.

u Ex Bellin. refer. Vvill. de phar. rat. sect. 4. cap. 1.

x T. Barth. lib. 1. cap. 19. anat. ref.
y Th. Barth. lib. 1. cap. 17. anat.

Neque diudicandus difficilis aditus ab emulgentibus arterijs ad renes, à renibus per vreteres ad vesicam, nam renum substantia u nec parenchimate est insignita, vt hepar lien, nec fibris carneis constat vt Cor, si recentioribus fides habenda, sed tubulorum membranaceorum aggeriem componere videtur, ita vt per eos ductus, licet exiguos, facilis fuerit redditus motus funiculo, cum experientia doceamur calculos non exiguæ magnitudinis à renibus ad vesicam deferri per vreteres, quæ vasa duos digitos posse admittere x testantur Anatomici.

Sed renum substantia dura sit compacta, & densa, adhùc non obstat, cum non solum renes sinus habeant in quibus substantia laxa, & cauernosa y est, sed sinus ipsi membranacei existant ex vreteribus in renum cauo expansis, & dilatatis, quo minùs funiculus per vnum ex renibus transitum obtinuerit:

De lactearum exiguitate maior difficultas: ast non solum af-

firmandum in viuente corpore meatus longè patentiores esse, & ampliores, quam in defuncto, prout quendam innuisse legimus, dum Appij radices per vrinas excretas deprehenderit *z*; cum non desint etiam, qui quadruplo maiores *aa* esse pronuncient; sed concludendum Naturam sine Doctore *bb* sibi ipsi inuenire *cc* vias, quæ licet oculorum visum effugiant *dd* ea tamen mentis acie comprehenduntur.

Interim si incongrua Vobis videbitur, quæ rudi Minerua meditatus fueram, libentissimè ea submitto, vt purgatissimi iudicij vestri censura meliora reddantur; optarem tamen, vt si quis vestrum Arcem Palladis conscenderit, atque Apollineis influxibus verum funiculi excogitauerit iter, de eo per epistolam certior factus, tamquam ab Esculapij Fano in somnijs deprompto benefico mererer dignari fauore. Valete. Tuderti IV. Idus Nou. MDCLXXXI.

z Iul. Alex. refer. Schench. lib. 3. obs. 20. de vrinis.
aa Io: Fort. cent. 4. consult. 30 tom. 2.
bb Hip. lib. de Alim.
cc Hip. lib. 6. Epid. sect. 5. test. 2.
dd Hip. de art.

